J. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO PHYSICA

De

MAGIA ET MAGICIS

PRIMA.

Quam

PRÆSIDE

DN. M. PHILIPPO BUCHIO,

Philoſ. Natural. Profeſs. Ordinario & p. t. Nobiliſs.
Facult. Philoſ. Decano, Germano ſuo
dilectiſſimo

RESPONDENS

GEORGIUS BUCHIUS,

Serv. Anhalt. Ph. & Th. Studioſus

In Electoralis Academiæ Brandenburgicæ Acroaterio Philoſophico Majore

Ad d. 9. Aprilis

Horis matutino-ſolitis

Publicè tuebitur

FRANCOFURTI AD ODERAM

Anno M. DC. LXVI.

Typis BECMANIANIS.

A. 5095

SECTIO I.

DE

MAGIA LICITA.

Subsectio I.

De

Magiâ Theoreticâ

§. 1.

Magia Vocabulum natales suos *Persis* debet, quibus summam Creatæ & Naturalis *S*apientiæ perfectionem notavit; Cæterum temporis successu Cultorum, scientiæ hujus splendidissimæ faciem superstitionibus atque nefariis artibus deturpantium, vitio labem contraxit teterrimam. Hinc odiis proborum exposita hactenus inculta jecit & sepulta. Tandem Docti, jacturam scientiæ nobilissimæ ægrè ferentes, è tenebris eandem eruere, & amputatis scoriis pristino nitori restituere adlaborarunt. Quæ doctorum tamen virorum industria impar fuit evertendis funditus omnibus tum superstitionibus tum commentis, quæ in *Magiam* irrepserunt, Duplex inde enata *Magia*, alia quæ rebus arduis tùm cognoscendis tùm producendis occupatur; Alia quæ hujus speciem mentita incautis imponit, eosque superstitionum labyrinthis involvit. Prior, quæ jure sibi titulum hunc vindicat, curæ nobis erit antiquiori, non insuper habitâ posteriori, cui larva, sub quâ latitat, detrahenda.

§. 2. *Magia* Genuina est habitus ex rerum abditarum scientiâ operumque admirandorum arte compositus. Quatenus *Magia* scilicet consideratur per modum Totius Integralis. Ubi in dubium minùs vocavero, eandem quoque expendi posse per modum Totius Universalis, quo definiatur Rerum Physicarum abditissimarum Habitus. Quemadmodum & Philosophiam geminâ hâc ratione considerare atque definire licet.

§. 3. Sunt inter Philosophos, qui *Magiam* ad operum stupendorum productionem restringunt; Sed frustrà sunt. Neque enim stupenda rerum abstrusarum cognitio admirationis parit minùs atque productio. Jam olim Eclipseos atque tempestatum prædictio divinitatis nomen meruit. Quid igitur obstat, quò minús Magiæ nomine indigitanda reconditissimorum naturæ mysteriorum Contemplatio? Si enim Effectivus Habitus id Fastigii anhelat: Ergò tantò magis Habitus *S*peculativus, quo sine Activus & Effectivus est nullus.

§. 4. Definitio suggerit nobis divisionem Magiæ in Speculativam & Effectivam. Speculativa rerum abditarum notitiâ absolvitur. Nec ab accuratâ naturæ cognitione differt, adeò ut graviter errent, qui in prædiâ Physices de eâdem agunt. Propædiam quippe cum tractatione ipsâ confundunt. Dicitur autem hæc nostra *Magia* cognoscere non quasvis, sed tantum res abstrusas & miraculum proximas. Hinc nomine eo indigna cognitio rerum naturalium vulgaris, quæ solo qualitatum occultarum, intentionalium, idque genus aliorum titulo superbit; veræ autem notitiæ continet nihil. Quin parili loco habenda præsumptuosa quorundam scientia, qui ceu naturæ Epoptæ juxta hypotheses rationis & experientiæ præsidio destitutas omnia naturæ phænomena explicare satagunt. Sed eo nomine citiùs insignienda venit accurata & juxta certa principia instituta naturæ mysteriorum cognitio, quorum amplissima sese ubivis locorum offert seges. Quocunque enim oculos naturæ mysta convertit, naturæ majestate adeò percellitur, ut ejus splendori haud sit ferendo.

§. 5. In cœlestium meditationem dum abripimur, eundem miraculorum atque radiorum numerum offendimus. Imprimis autem doctiorum ingenia mirum in modum exercuerunt Maculæ Faculæque solares, veteribus incognitæ, nostro seculo detectæ. Quinquaginta enim quinque & amplius secula Sol mundo evolvit illæsâ candoris sui semperque intemerati splendoris famâ. Verum quod vivus mortalium oculus vi suâ adsequi non poterat, arte factus, ut ita dixerim, oculus & ascita intra tubum vitrearum lentium perspicuitas deprehendit in facie Lucis nævos, in Sole maculas, areolas item reliquâ Solis superficie lucidiores, Faculas dictas. Si enim Telescopio diversis temporibus in *S*olem directo, speciem ejus intra conclave

clausum

clauſum obſcuratumque transmiſſam candido plano exceperis, non ſine admiratione primò videbis ſubinde totam ſolaris hemiſphærii apparentis ſuperficiem heterogeneam ex umbris & luculis conflatam, eundemque Solem tanquam mare fluctibus aſperum & fluctuantibus undis undique criſpum; neque id eodemmodo ſed tempore diverſo diverſas verſare vices hodiè aliter quàm heri & cras aliter quàm hodiè, nec unquam eodem ſchemate, eodem vultus habitu ſummo ſtupore defixus intueberis. Verum ne quispiam hujusmodi φαινόμενον vitio oculi aut vitri accidiſſe putet, hoc in ipsâ ſolaris diſci ſuperficie, ſemper & quovis diei momento, in eodem ſitu obſervatur. Cum igitur per liquida experimenta conſtet macularum veritas, in cauſas earundem inquiremus. Præmittimus autem Solem per modum reliquorum Planetarum non eſſe corpus aliquod ſimplex ſed mixtum, copioſo cumprimis igne perfuſum. Id varias ſubinde patitur alterationes, multaque diffundit effluvia minus lucida; Hæc circa ſuperficiem Solarem conglobata, nubiloſam ſpeciem maculamque faciem exhibent. Æſtu verò Solis diſcuſſa, locum in quo conſtipata erant illuſtriorem relinquunt quàm vicinæ partes, eumque lucularum aut facularum ſpecie induunt, vel quia ſemel craſſos vapores noſtrisque ſimiles nubibus, iterum flammam clariorem emittebat, vel quia effluvia minus lucida diſcuſſa, ut locum in quo conglomerata erant, illuſtriorem reddunt, ſic proxima, per quæ diſcutiuntur non nihil opacant. Hinc plerumque obſervationibus *Scheineri* teſtibus ex maculis faculæ generantur. Quandoque autem copioſa effluvia ignea ob factam in corpore Solari alterationem exhalantia flammæ ſpeciem præ ſe ferunt. Nonnunquam enim absque præviis maculis è lucidâ corporis ſolaris ſuperficie ejusmodi flammæ erumpunt, quæ poſtmodum in maculas abeunt. Imò innumeræ Faculæ in Horizonte nunc ortivo nunc occiduo limpidiſsimè allucent, quas Solis tralucentiæ tranſcribi minimè poſſe fuſius probatum reddit *Scheinerus Roſ. Urſ. libr. 4. part. 1. cap. 52.*

§. 6. Sententiam noſtram de variâ corporis ſolaris mutatione, indeque ortâ Macularum & Facularum generatione, evincuut Macularum, 1. Ortus. Nam tenuiſſimas umbras telæ araneæ inſtar in ſuperficie Solis expanſas ortivarum macularum quaſi prænuntias

Scheinerus animadvertit, quippe quæ processu temporum & dierum pedetentim spissiores factæ & in maculas adauctæ conspectum stabilem ferunt. Idem deprehendit minimas maculas inter se discretas ebulliisse, sensimq; dilatatas unam contiguam constituisse. 2. Mutatio. Maculæ enim & Faculæ non solum loco, mole, figura, claritate atque obscuritate indies mutantur, sed mutuò in se invicem convertuntur. Imò circa polos parallelorum à Maculis descriptorum, visuntur superficiei *S*olaris spatia satis ampla maculis & faculis penitus orbata. Ea ipsa tamen variè alterantur maculisque asperguntur. Quemadmodum & alia vicissim maculis aut faculis referta expurgantur, & in aspectum uniformem serenantur. Quin non rarentur Sol maculis & faculis primarii is vacat. 3. Motus. Nam maculæ moventur cum ipso *S*ole, qui vertigine suâ ipsas circumvolvit. Hinc quotidiè cum Sole manè oriuntur, cumque eodem toto die convertuntur, & vespere occumbunt, neque *S*olem deserunt in ullâ orbis terrenâ parte conspectæ. 4. Locus. Hæc enim umbrarum Lucularumque phænomena nullâ ratione extra discum Solarem, sed ex ipsâ corporis superficie quasi ebulliunt. Nam *S*ol sive umbris variegatus, sive luculis coruscus, sive utrisque carens, non uno tantum loco, sed toto terrarum orbe, uno prorsus eodemque modo, tempore & loco Solis comparet. Deinde sive intervalla umbrarum & macularum sumantur in longum, sive in latum, sive mixtim semper ea superficiei Solari inesse reperiuntur, quod nequaquam fieret, si alteri extra *S*olem sphæræ inhærerent.

§. 7. Nec minus negotium facessunt Physicis Maculæ Lunares tùm Veteribus notæ tum Recentiorum industriâ & quidem Telescopii ope detectæ. Veterum de iisdem sententias recensere instituti ratio non patitur. Recentiorum plerique discrimen clararum & obscurarum Lunæ partium arcessunt ab earundem raritate & densitate. Sed inter hos nonnulli, ut *Mastrius*, *Bellutus*, *Bettinus*, *Longomontanus* & olim *Keplerus &c.* tradunt maculas esse partes densas & opacas, ut pote quibus parum luminis Sol communicare possit. Hinc *Scheinerus in disquisit: Mathem:* concludit: *Obscuriores Lunæ partes non sunt aquæ; aliàs magis essent translucidæ, adde etiam lucis repercussui aptiores.* Contrariam sententiam fovent *Cardanus*, *Argolus*, *Galilæus*

Galilæus, *Rheita*, *Ricciolus &c.* qui putant Maculas esse in partibus Lunæ rarioribus ac perspicuis, eò quòd lumen Solis nec in superficie sistunt, nec totum illico reflecti faciunt, sed introrsum penetrans absorbent, nec nisi refractione admixtâ modicam partem ejus retroagunt. Quæ sententia posterior verò nobis congrua videtur. Nam licet oriente aut occidente Sole in horizonte maris aut lacus cujus piam reflexio ingens radiorum huc illuc dispersorum ab undis fiat; & Solis imago in determinata parte aquæ aut speculi conspecta oculos haud longè dissitos perstringat; si tamen procul & eminus spectes terræ & aquæ magnas totasque superficies â Sole illuminatas deprehendes aqueas atram quandam & fuscam lucis speciem reddere, terreas autem claram & quandoque tantam, ut vix oculi eam sustineant. Sed *Fortunius Licetus libr*: 1. *de Lunæ luce subobscurâ cap.* 6. maculas tribuit colori livido & subnigro Lunæ; claritatem autem reliquarum partium Lunæ candori, cui pollicem premere videtur Celeberrimus *Schoockius Phys. Cœl. Disp*: 5. §. 32. Nec παράδοξος ista opinio, cum in unionum conchis & matricibus, item in nubibus adverso sole illustratis, item in ipsis marmoribus candidis conspiciamus pattem candescere, partem pallescere atque adeo livescere: Quid? quod partes terrestres albicantes vel nive coopertæ, solis fulgore illustratæ lucem quandam candidissimam longeque clariorem exhibent quam partes nigricantes, prout idipsum in Calabriæ montibus vicinisque Insulis non sine voluptate observavit *Kircherus art. magn. lucis & umbræ libr. 1. part. 1. cap. 4. & Itin. Ectst. dial. 1. cap. 2. §. 14. Rheit. libr. 4. oculi Enoch & Eliæ membr.* 10. Nec negligenda hic sententia Grimaldi, qui caliginem seu fuscedinem tribuit asperitatibus rugisque Lunæ reflexionem interturbantibus. Nam si quis parietem de albatum & à Sole illustratum aspexerit, cujus pars lævigata pars autem aspera in modum pumicis, illa quæ aspera est, & minus clara conspicietur umbratilis atque subnigra, si cum lævâ quidem componatur. Hinc passim Autores causam novarum Macularum conjiciunt in inæqualitatem superficiei Lunaris montibus ac vallibus asperatæ. Eam inæqualitatem tùm successiva illuminatio partium lucidarum tùm umbrarum projectio satis superque probat. Quartâ enim circiter póst novilunium die & sequentibus in orientalî parte

 adhuc

adhuc nigrâ Lunæ apparent cuſpides lucidæ vel areolæ tanquam ſcopulo interjacentibus partibus nigris & lumine Solis directo nondum illuminatis. Contrà verò in decreſcente Lunâ .ſunt in parte ipſius occidentali & obſcurâ partes quæ ſerius à Solis lumine deſtituuntur, quam aliæ inter has & partem Lunæ illuſtratam interjectæ. Sed unde illa diverſa illuminatio niſi ab eminentiâ partium, quæ in modum Montium noſtrorum citius à Sole illuminantur ac ſerius illuſtrari deſinunt, quàm valles & partes depreſſiores. Deinde ſicuti montes & turres oriente ſole umbram in partem occiduam, occidente autem in ortivam ejaculantur, in ipſo verò meridie, ſi Sol illis perpendiculariter incumbit, ceſſant umbræ: Ita & totum tempus à Novilunio ad plenilunium usque umbræ novarum Macularum feruntur orientalem Lunæ partem verſus, & tantum minores magisque dilutæ ſunt, quantum propius eſt plenilunium, nam eo adpetente evaneſcunt; Idque ad medium Lunæ, quia directis Solis radiis feriuntur; Transacto autem plenilunio rurſus incipiunt umbræ illarum partium, ſed jam verſus occidentalem plagam ſe porrigentes, & à principio & ſub finem illuminationis incrementum ſumunt. Confer *Ricciol. Almag. nov. libr. 4. cap. 8. quæſt. 3. Keplerum Epit. Aſtr. libr. 6. part. 5. p. m. 831.*

§. 8. Sed quid cœleſtibus & à ſenſu remotiſſimis immoramur corporibus? Mundus enim noſter Sublunaris tot Exoticos effectus tot naturæ ſuggerit prodigia, quibus enodandis impar videtur omnis Magiæ noſtræ labor & induſtria. Stupendæ enim ingenti agmine ſeſe offerunt Elementorum mixtorumque vires, peregrini effectus venenorum, mira animalium odia & amicitiæ, ut intellectus humanus ludibrium debeat. Nam ut cœtera tacita relinquam, in triplici naturæ regno mixtum, vel minerale, vel vegetabile, vel animale exiſtit, quod non cum altero odii amorisque leges exerceat. Hæc diverſiſſimas operationum ſuarum cauſas ſortiuntur. Imò longe lateque ſeſe diffundit hoc naturæ latifundium, ut omnes ejusdem divitias unius diſſertationis anguſtia minimè capiat. Selectiora igitur tantum in medium adducemus.

§. 9. Quem non in admirationem rapit æſtus Marinus Fluxus & Refluxus nomine celebris? In cauſas tamen ejusdem penetrare conatur Magia. Cum enim per experientiam conſtet ſecundum diverſum

Lunæ

Lunæ positum hunc æstum & ipsum diversum evenire, convenienter eum ad Lunam refert. Nec hîc pedem figit, sed modum quo Luna tàm mirificos præstet effectus, ad oculum exponit. Notare verò est, Lunare corpus cum terraquei globi humido præ cœteris sideribus miras consensus leges exercere, quod non inanimata solum, sed vegetabilia sensitivaque corpora, quin vel ipsi humores in corpore humano residentes contestantur; Nam ad Lunæ incrementum mirificè alterantur: Lunatici furiunt, Podagrici plus solito torquentur, catharris obnoxii rheumatis replentur. Mirus ille consensus inter corpus Lunare & globum hunc terrestrem ortus videtur ex naturæ atque temperamenti similitudine. Corpus enim Lunare (multis id experimentis probarunt Physicorum accuratiores) eodem constat temperamento, quo noster terraqueus globus. Sed hic unà cum universo Occano ex salinis corporibus, v. g. sale, nitro, alumine, vitriolo, bituminosisque scaturiginibus maximam partem constat. Talis igitur & constitutionis Lunare corpus esse experientiâ convicti asserimus. His præmissis colligimus, Maris intumescentis detumescentisvè causam unicam esse virtutem flatuosam & ex analogiâ ad corpus terrestre nitrosam vel salinam, Lunari corpori ab initio rerum concreatam, lucisque Lunaris tepore ita temperatam, ut mox ac mare radiis suis tetigerit illud ob conveniens temperamentum agitet, tumefaciat & longê dilatet. Hinc spiritus nitrosi corpusculis aqueis inclusi teporeque Lunari resoluti, dum majorem locum quærunt, necessariò vicinas undas trudunt, & hæ alias donec Luna ad vicinum vertici locum pervenerit, ubi pondus aquarum non amplius sustinens, aquas in priori ascensus sui quadrante accumulatas dimittit, in secundo quadrante novum accumulatura aquaram incrementum. Unde quod horis aquæ in priori quadrante paulatim per fluxus sui adventum creverant, totidem successivè horis decrescant: Cum autem Luna radioso suo Cono semper totum penè terreni globi hemisphærium comprehendat, efficitur ut dictâ maris dilalatione tota maris moles figuram Conoidem induat, atque adeò aqueum corpus in duos tumores abeat, quorum unus Orientis, alter occidentis hemisphærium occupat, qui duo tumores ad motum Lunæ immutantur. Ex quibus constat, quâ ratione Fluxus, & Refluxus in parte Lunæ

oppositâ

oppositâ contingat, quod schemate delineat elegânter *Kircherus in arte Magnet: libr. 2. part. 4. cap. 2. Conf. Theodorus Moretus tract. de æstu Maris cap. 4. Fromondus Meteor. libr. 5. cap. 1. aſt. 10. & 11.*

§. 10. Ex cœteris naturæ miraculis, quibus in orbe terrarum ludit æterna Dei sapientia haud ultimum videtur Magnes, in cujus naturâ exponenda Magiæ nostræ desudet industria, & quæ admiranda in se claudat ille prodigia, palàm ostendat. Duo autem potissimum inter arcana latentis virtutis sacramenta occurrunt, quæ omnes ad admirationem traducunt, stupendum nempe illud inter Magnetem & ferrum q' asi initum conjugium, & prodigiosus inter eundem polosque terræ consensus. Utriusque causam unde arcessant, vix inveniunt naturæ indagatores. Non adducemus hic *Carteſii* Hypotheses aut *Digbæi* conjecturas solido fundamento destitutas, nec superstitiosa deliramenta fabulosasque narrationes veterum, quas prolixè recenset *Gilbertus libr. 1. de Magnete cap. 1.* Sed ea quæ divinioris-ingenii Philosophi variis observationibus explorârunt. Qui notarunt totum globum terrestrem esse Magneticum, duosque agnoscere polos cœlestibus obversos, situmque Noto-boreum ad corporum cœlestium, situm eundem affectantium, influxus legitimè & ordinatè recipiendos obtinere. Id quod innumeris experimentis *Gilbertus, Cabeus, Kircherus* & *Schottus* evictum dedêre. Nihil autem luculentius Magnetisimum terræ demonstrare videtur, quam ipsa telluris à polo ad polum sagacis naturæ consilio instituta compaginatio. *Kircherus* enim *Cabeus* aliique variis in locis Saxosæ compagis venas fibrasque ad polos directas invenerunt. Cujus structuræ *Kircherus art. Magnet. libr. 1. part. 2. p. 29.* hanc suppeditat rationem: *Cum Sol & Luna inter duos Tropicos ex ortu in occasum perpetuò feratur magnosq; Maris motus causetur; consultius erat terræ corpus ex Austro in Boream sive* Βορεονοτίως *ad firmiorem totius consistentiam, partiumque singularum connexionem, quàm* Εὐρόζε Φύρεως *compaginari. Quod si fibris ex ortu in occasum excurrentibus id fuisset conditum, timendum erat ne nimio Solis ei incumbentis calore & siccitate torrefactum, successu temporum fissum, divisionem continui Zona Torrida, Frigida verò è nimiâ humiditate & frigore ejusdem dissolutionem pateretur, aut etiam ex vehementi Oceani motu, partes aquarum illisione paulatim consumptæ totius interitum causarentur.*

ſarentur. Receptum inſuper in homogeneis ſubſtantiis partes non toti tantum aſſimilari, ſed ejusdem quoque omninò cum toto eſſentiæ eſſe, ita ut proprietates & accidentia toti convenientia partibus neceſſario conveniant. Cum igitur Magnes genuinus terræ filius & totius homogenei vera ac homogenea pars ſit, totius quoque affectiones participat. Unde in aëre pendulus ac Magnetico illo terræ vires ſuas undequaque diſſeminantis profluvio congruenter affectus, ad totum ſe conformando, eam, quam terra parens anhelat ſitus motionisque rationem, & ipſe expetit. Quemadmodum igitur Tellus ad polos mundi, ita & Magnes ad polos terræ dirigitur, eundemque quem terra ſitum affectat. Hinc non incommodè à *Gilberto* μικρόγη ſeu Terrella vocatur. Nam duos agnoſcit polos, polis mundi reſpondentes, in quibus potiſſimùm viget vis illa Magnetica, item Æquatorem, Parallelos, Meridianos, imò & Horizontem proprium habet. Conſule *Kircherum art. Magn. libr. 1. part. 2. propoſ. 10.* Adde, cum omne Ens in bonum ſuum internum conſervationemq; naturaliter feratur, Magnetis autem Bonum ſit conformatio ſui ad ſitum terræ, â quâ perpetuò fovetur & conſervatur, in miro non eſſe, ſi ejusdem terræ ſitum ac directionem deſideret, & pro virili ſectetur. Hinc Magnes ab hujusmodi ſitu dimotus violentoque atque refragante in ſtatu detenrus, virium ſuam detrimentum patitur & ſenſim flaceſit. Patet id in verſoriis Magnete excitis; quæ niſi ſuper obelos ſuos librentur, inque deſideratum atque congruum ſitum dirigantur, vim directricem & attractricem penitus amittunt; convenienter verò librata eam conſervant; adeò ut ſubinde in antiquiſſimis aſtrolabiis atq; horologiis primum adhuc vigorem obtineant, in recentibus verò vix ſignum verticitatis. Non igitur audiendi qui directionem hanc Magnetis in polos Montibus Magneticis impingunt, *â Maurolyco* & *Olao Magno* relatos ad polum; Nam alibi locorum. v. g. in Iluâ, in Cretâ, in littore Guineæ, aliisque Oceani tractibus montes Magnetici reperiuntur, qui tamen Magnetes & ferramenta ad ſe non alliciunt. Nec veroſimile videtur ad tantam diſtantiam illorum montium virtutem noſtras usque & remotiores regiones diffundi: Imò hac ratione in regionibus Borealibus longè efficacius atque celerius converterentur Magnetes; quod tamen non contingit. Nec

felicius sese expediunt, qui verticitatis causam in cœlo quærunt, consensumque inter Magnetem polaresque stellas comminiscuntur. Neque enim cœli sed terræ polos Magnes respicit. Ea propter acus aut versorium, supra obelum libratum, ita ut Horizonti sit exactissimè parallelum, si Magneti affricatur, pars ejus quæ ad septentrionem vertitur in nostris regionibus deprimitur versus polum terræ septentrionalem infra Horizontem physicum, & pars opposita elevatur supra eundem Horizontem. Plura experimenta videsis apud *Schott. part. 4. Mag. lib. 3. c. 4.* Deindè paucis in locis directè versus stellam polarem dirigitur, sed ubique ferè ab eâ declinat ortum vel occasum versus. Quæ diversa declinatio aliunde non provenit, nisi à vario terrestrium partium vigore Magnetico imbutarum fibrarumque Magneticarum situ, cum acus iis superposita, se ad infra positi sibi Magnetici corporis axim accommodando, varium sortiatur situm. Conjiciantur enim in pelvim frusta aliquot Magnetis omnia in polos directa; postea super aquam (in cujus fundo posita sunt frusta Magnetis) versorium libretur, & videbis super singulos quidem lapides acum sese polariter disponere, sed supra unum lapidem plus supra alterum minus pro ratione situs, roboris & bonitatis lapidis.

§. II. Nec sola corpora Magnetica eum situm affectant, sed corpora sibi germana & proportionata ad eundem disponunt & ob naturæ similitudinem sibi arctissimè uniunt. Hinc ferrum, quod similitudine proximè accedit ad Magnetem, intra sphæram Magneticam constitutum, verticitatem seu vim conversivam ad polos acquirit, acquisitâque illâ subitò sese ad bonum suum conservativum recipit. Cum enim corpora iis adminiculis sint instructa, quibus ad debitam perfectionem pertingant, & corpora Magnetica eo in loco constituta, quo qualitate Magneticâ affici possunt, vim habent sese promovendi per illam eandem qualitatem ad locum, in quo virtus illa intensior est. Locus autem iste est propè illud corpus, à quo fluit ista virtus. Hinc ad illud accedit, & cum eo conjungitur. Nec Magnes advenientis corporis consortium respuit, sed amicè illud excipit, utpote quo magis in vigore suo conservatur atque corroboratur. Mutuus igitur ille corporum accessus nititur cognatione seu naturæ similitudine, Quia videlicet ob similitudinem memoratam profundunt

similes

similes & inter se amicos spiritus, qui recepti alienis, at suo fonti similibus corporibus, & illorum spiritibus commixti provocant illa ad mutuum accessum. Confer *Emanuel Magnanus in cursu Phil. cap. 14. propos. 15.* qui illa deducit fusius.

§. 12. Magneti subjungimus Asbestum indomabilis ab igne incombustibilisque naturæ lapidem, qui inter cœtera mineralis mundi prodigia animos omnium ingeniaque ad se convertit. Lapis hic figuram capillarem refert, colore quandoque albo, subinde cinereo interdum rufo aliàs ferreo gaudet. Externam superficiem siccus & in filamenta solubilis. Interea stabulat in centro nescio quæ humiditas viscida atque oleaginosa nullo igne domabilis. In ignem conjectus citra ullum nocumentum incorruptus perseverat: Telæque ex eo confectæ adeò non detrimentum ab igne patiuntur, ut puriores inde exeant. Quâ autem ratione aut industriâ sese hoc aluminosum viscus contra ignis tormenta muniat, terminos imbecillitatis humanæ tantum non excedit. An causa contumaciæ hujus à materiæ, nullâ alterius heterogeneæ rei miscellâ adulteratæ, sincerirate & lapidis optimè commisti temperamento arcessenda? Cum enim ignis, juxta *Aristotelem* heterogenea disgreget, homogenea autem congreget, corpora homogeneæ naturæ maximâ ad igni resistendum potentiâ pollent. Sic aurum metallorum purissimum difficulter in liquorem resolvitur, nec centies clibano immissum substantiæ quicquam deperdit. Partes enim humidæ cum siccis terreis tam arctè sunt unitæ & intimè permistæ ut illæ sine his auferri nequeant. Amborum verò pondus gravius est, quam quod ab aëre circumstante sublevetur. Quia igitur partes Asbesti omnes evadunt homogeneæ & ritè inter se permistæ, ut humidæ â terreis nullâ ratione separari, imò ob humoris defectum non dilatari queant, eâ de causâ nec in liquorem resolvi, nec ignis violentiâ absumi aptæ natæ sunt. Ignis enim corpus absumit resolvendo partes easque à se invicem sejungendo, at ubi perfecta datur partium omnium mixtio ibi, non invenit locum resolutio. Quin experientiâ constat, tantò materiam igni magis reluctari, quantò evaporationibus minus obnoxia est; & vicissim tantò facilius ab igne corripi, quantò in vapores halitusque est resolubilis. Confer *Libavium Bombyc. libr. 2. cap. 9.* De lapide hoc quæritur, an scilicet ipsius

subsidio lucernam conficere liceat, quæ perpetuam & nullo ævo intermorituram flammam contineat? Fuerunt qui æstimarunt Asbestum igni admotum inflammari in perpetuam lucem, aliâ re inflammabili additâ nullâ, quos tamen quotidiana redarguit experientia. Nisi enim oleum accesserit ellychnio Asbestino omnem in eo inflammando operam perdes. Inde alii Asbestini ellychnii & liquoris inconsumptibilis ope concinnari posse ejusmodi lucernas autumant. Imò *Fortunius Licetus, libro de lucernis Veterum*, totus in eo est, ut mundo ignis perpetui inventionem persuasam reddat. Verum nobis artificium lucernæ perpetuæ planè suspectatur. Ut enim ellychnium Asbestinum detur incombustibile, tamen requirit liquorem sibi geminum, in quo parando industria omnis humana deficit. Quemadmodum homo absque alimento perpetuo vivere; ita & flamma absque jugi alimento conservari nequit. Quippe ubicunque est ignis & humidum, ibi hoc in vaporem attenuetur necessum est. Ubicunque autem exhalatio aut evaporatio, ibi res ex quâ expirat, cum tempore consumitur. Quid? Quod flamma, nisi aëris accesserit ventilatio, à vaporibus & excrementis obrueretur, nec flammæ speciem ederet.

§. 13. Præter Magnetem & Asbestum mirabili sese proprietate commendat Phosphorus lapis, in agro Bononiensi novissimè repertus, qui luci expositus eam ita imbibit, ut loco tenebroso collocatus conceptam lucem vivorum carbonum ad instar non sine intuentium admiratione diffundat. Lapis hic fossile quoddam, rude gypsum primo aspectu referens, ut lucem hauriat atque conservet ita præparatur: Lapis, si integer est ac purus, in furnulo eam in rem constructo calcinatus, inque pollinem tenuissimum redactus, cum ovorum albumine vel oleo seminum lini, vel etiam aquâ communi, in unam massam compingitur atque scriniolo imponitur. Deinde quotiescunque lucis splendorem videre aut amicis ostendere lubet, theca cum inclusâ massâ lumini Solis vel diurnæ luci, aut noctu valido igni exponitur aliquandiu ad perfectius & intimius fœturam lucis in se concipiendam. Ex his enim omnibus lucem attrahit, eò quidem validiùs quò lumen, cui exponitur, copiosius est. Posthæc clausâ pyxide in locum obscurum defertur lapis inclusus, ibique reseratur, sicque lucem perinde ac carbo incensus è se diffundit, & quidem pro bonitate

lapidis

lapidis aut conceptæ lucis abundantiâ nunc plus nunc minus. Hujus igitur lapidis prodigiosi spectacula, uti maximam apud Philosophos excitarunt admirationem, ita animos quoque multorum illa luce suâ mirabili ad causam inquirendam accenderunt. Sunt qui lapidem hunc lucem eâ ratione, quâ magnes ferrum aut naphta ignem, trahere contendunt, sed oppidò falluntur. Nam magnes attrahendo ferrum certâ ratione id disponendo situat, quod in hac lucis communicatione non contingit. Nec naphta propriè ignem trahit, sed ignis dum vaporosam sphæram, quam naphta continuâ expiratione projicit, attingit, totum istum bituminosum vaporem, tanquam corpus inflammationi aptissimum, quasi in momento accendit, hocque modo ignem trahere videtur. Non secus ac si post extinctam candelam fumo exhalanti, quantumvis ellychnio remotus fuerit, candelam aliam accensam admoveamus, extemplò fumus iste accensus se paulatim propagando candelam extinctam denuò accendit. Imò nulla hoc in negotio attractio intervenire videtur, sed lux copiosa lapidem hunc pellucidum intimè penetrat, partibusque ejusdem tenuioribus, ob Salisnitri copiam translustribus, sese insinuat, ut in unum corpus lucidum cum illis coaluisse appareat. Lux autem imbibita aliquantisper lapidi inhæret, sive quod juxta *Kircherum art. magn. lucis & umbræ libr. 1. part. 1. cap. 7.* ejus vehiculum, vapor nempe subtilissimus, intra poros lapidis constipatur; sive quod lapis hic diaphanus, & ob antimonii & Salisnitri copiam, quâ constat, luci recipiendæ aptissimus maximam copiam lucis intra poros admisit, eamque ob allatam materiæ dispositionem loco tenebricoso præprimis expositus retinet, donec vel lapidis frigiditate expellatur, vel sponte exhalet. Quemadmodum atomi igneæ ferrum ingrediuntur, candoremque illi conciliant, donec paulatim expirant. Cons. *Licetum de Litesphoro. Aldrovandum libr. 4. Musf. Metall.*

§. 14. Cum nullo non tempore Philosophorum juxtà ac Medicorum ingenia exercuerit admirabilis venenorum natura, jure utique merito hoc argumentum conjungendum. Duo autem cumprimis circa venena considerandà veniunt, eorum ortus & modus operandi. Ortum venena debent terræ, quæ innumerabili terrarum, succorum mineraliumque varietate prædita est. Illa enim per subterraneum

calorem diversimodè alterata, tot venenorum differentium genera, quot in rerum naturâ differentia mixta sunt, constituit. Quæ quidem uti malignantis naturæ sunt, ita quoq; ne universum inferiorem mundum inficerent, partim in plantas, partim in animalia venenosa degenerant. Tria verò potissimum in subterraneo regno reperiuntur, quæ nativis succorum terrestrium mineraliumq; partibus commixta omnem venenorum varietatem largiuntur: Sulphur, Mercurius, Sal. Sulphur vehementi calore adustum, & veluti per subterraneum ignem sublimatum, ubicunq; terram sibi idoneam reperit, ibi aut Arsenicum, Auripigmentum &c: format. Mercurius calore subterraneo sublimatus, ubi proportionatam materiam offendit, ibi aut Antimonium aut Cerusam vel simile quid, Mercurio sublimato haud absimile, excitat. Iterum varium Salium, Vitrioli, Nitri, Aluminis cum Sulphureis aut Mercurialibus liquoribus mixtura novum, pro variâ compositionis combinatione, venenorum seminarium exhibet, idque tantò pernitiosius, quantò ex subterranei caloris vi magis magisque fixatum fuerit. Si jam vegetabilem & animalem Oeconomiam exactius perlustremus, exactè adsequeremur omnium venenatarum plantarum animaliumq; sobolem aliunde originem suam non nanciscì quàm ex ipsius terræ venenatis succis. Ex cujuslibet enim terrestris mineralisq; veneni speciei fermentatâ putredine nascitur herba succo venenoso proprietatibus consimilis. Vel si putredo ad altiorem gradum adspirârit, animal ex serpentum insectorumque genere nascitur, prorsus venenosæ putredini proprietatibus atque viribus æmulum. Exemplo res evadet manifestior. Est in Minerali regno Arsenicum venenorum potentissimum, cujus fermentata putredo generat napellum aut aconitum, virulentiæ Arsenicali prorsus simile. Si verò in excellentiorem putredinem sublimetur vel aspidem vel phtiadem pariet, veneni atrocitate formidabilem. Neq; venenum napelli differre videtur à veneno aspidis, nisi quod venenū in napello humiditate nonnihil obtundatur, in aspide verò spirituosiùs existat. Quod si putredo quædam Mercuriali virulentiâ imbuatur, illa generabit aut dracunculum virulentum, aut, si subjectum excellentiori putredine tinctum fuerit, dypsadem. Ex quibus satis superque constat deleteriæ qualitatis plantas & animalia non aliò quàm ex pingui & mucilaginosâ materiâ, variâ mineralium

lium succorum miscellâ imprægnatâ, originem trahere. Cum virium similitudine mineralibus, ex quibus orta, respondeant. Quemadmodum autem combinatio venenosarum qualitatum in mineralibus diversissima est; Sic etiam animalium plantarumque vires longè differunt, adeò ut venenum veneno quandoque sit inimicum. Hinc araneus conspecto bufone è vestigio per filum descendit, eumque ob veneni diversitatem punctură inflictâ interimit. Venenum enim bufonis vel rubetæ terrestre est, utpote ex corruptâ putredine & virulento terræ muco natum, Aranei verò aëreum subtile ac spiritu turgidum, ex aëre sive murorum lignorumque putridorum poris rimisque ortum. Quod statim atque rubetæ corpori immittitur, pro eâ quâ pollet subtilitate totum rubetæ venenum immutat, eamque alieno totius substantiæ dissimilitudine veneno infectam prosternit. Cum enim venenum bufonis humido-frigidum, araneæ verò totius substantiæ disparitate siccum & calidum sit, ex facili igneâ hujus vi bufonis venenum prorsus contrarium consumitur atque destruitur. Quod verò bufo bufoni, serpens ejusdem speciei serpenti non adversatur, id venenorum affinitati tribuendum. Quomodo tantum abest ut sibi noceant, ut potius sese mutuò foveant & conservent. Quemadmodum enim stirpes & plantæ exterrâ, quod eorum naturæ maximè congruit, attrahunt, ita singula quoque animalia ad alimentum naturæ eorum conservandæ aptum naturali instinctu feruntur. Cum itaque natura venenatis animalibus venenum veluti dotem singularem tum adconservandum tum ad defendendum concesserit, veneni quoque ceu alimenti convenientis attractio illis est naturalis. Ex iis enim nutriuntur ex quibus componuntur. Hinc serpentes, bufones, scorpiones naturali appetitu quicquid in terrâ venenosum, putridum noxiumque est, id omne exsugentes in nutrimentum & substantiam convertunt. Vipera veneno spoliata, in terram autem venenosâ qualitate imbutam dimissa, novo attracto veneno virulentiam reciperat. Hac item ratione viperæ terrestre, aquaticum dypsades, Araneæ aëreum virus attractum in se derivant. Nec sine admirabili Dei Opt. Max. providentiâ animalibus ista venenorum attractio indulta videtur. Nam universa naturæ inferioris œconomia in perpetuâ generationis corruptionisque

vicissi

vicissitudine consistit: Generationem autem corruptio & hanc putredo concomitatur, ex quâ varia iterum proveniunt animalia, omne malignum in se transferentia, corpusque ex quo nascuntur malignitate liberantia. Quod nisi fieret universa telluris substantia, hac veneni qualitate infecta, ingentia & irreparabilia damna naturæ inferret, omniaque Elementa contagiosâ hac putredine inficeret. Mirâ igitur sagacitate natura sibi plantis animalibusque consuluit, quæ ex differenti putredine nata, insito appetitu venenum haurirent & in se derivarent quod maximè congruum & συγγένεσον. Ne verò plantæ aut animalia, venenosa jam qualitate prædita, halitu virulento terram denuò inficerent, ea plerumque in aliorum animalium cibum destinavit. Novimus enim animalium venenatorum pastu delectari ciconias, aquilas, gallinas, anates, cervos similesque, quæ comesta ob excessivum, quo pollent, calorem & copiam spirituum sulphureo-nitrosorum, quâ turgent, nullam iis noxam inferunt. Nam stomachus in hujusmodi animalibus sulphureo-salenitroso vigore & porrò mirâ acrimoniâ pollet, naturaliquecalore calorem diffusi veneni multũ superat, adeò ut venenum prius consumatur atque transmutetur quam vires suas exerat.

§. 15. Ortum venenorum spectavimus, quem excipit Modus operandi, quo vehementior eò cognitu difficilior. Venena enim intus sumpta statim regiam spirituum sedem, Cor, petunt deleteriâque vi suâ omnia corrumpunt & destrunt. Quæ vis sanè stupenda adeò torsit ingenia Doctorum, ut eam supra ingenium humanum censeant esse. Nos *Kircheri*, Physicorum hodiè principis, ductum secuti, venenorum omnium ortum ex succorum mineralium, cum primis autem Arsenici & Argenti vivi combinatione, deducimus. Horum operandi modum si exhibuerimus, facilior etiam reddetur reliquorum venenorum operandi ratio. Arsenicum venenorum potentissimum, naturâ sulphureum, triplici potissimum virtute pollet, tantoperè hominibus cœterisque animantibus nocivâ. Prima est vis adustiva, ex quorundam salium igneâ vi pollentium sublimatione innata, quâ æstu ingenti & intolerabili omnes corporis partes torquet & adurit. Secunda est caustica sive corrosiva, quæ æstu jã dilatata attenuataque, & carnes & ossa nervosque denique ipsos resolvendo corrodit ad

modum

modum aquarum fortium, quas regias ſtygiasque vocant, metalla exedentium. Quæ uti ex ſale communi Ammoniaco & vitriolo utplurimum componuntur, ita in metallis conſumendis calcinandisque magnam vim habent. Arſenicum igitur, iisdem ſalibus turgens, ignisque vehementioris alteratione jam depravatum idem in humano corpore præſtat. Tertia qualitas eſt putrefactiva, quâ omne quod intus corroſum, ſepticâ quadam vi in tabum reſolvit. Quas quidem facultates neceſſariò inſolita illa ſymptomata, quibus intoxicati agitantur, conſequuntur; Videlicet anxietas cordis ob ſpirituum oppreſſionem, dolor intolerabilis ex aduſtivâ & cauſticâ vi exortus, animi deliquium ob ſpirituum vitalium conſumptionem, tandem obnubilatio mentis ob fumos ex putrefactis humoribus in cerebrum elevatos: quibus mors inevitabilis ſuccedit. Alterum venenum primitivum eſt argumentum vivum, quod in magnâ copia ſumptum ſanguinem & ſpiritus coagulando interimit. Mercurius autem crudus naturalique humiditate oppreſſus tantoperè haud nocet; ſed ſublimatus & calore in ſalem exaltatus veneni ſui frœna tanto impetu laxat, tot tantisque ſymptomatis furit, ut nulli in rerum naturâ veneno primas concedere videatur. Intro enim ſumptus linguam illico & fauces immaturorum ſorborum ad inſtar exaſperat, in ventriculum verò deſcendens ei pertinaciter adhæret, malignitatisque ſuæ vires mox exerens corroſione & exulceratione ſusque deque vertit omnia cum totius corporis ardore in explicabili ſitique inextinguibili. Quibus ſuccedunt incredibilis anguſtia, linguæ tumor, lypothymia ventriculi inteſtinorumque tormenta, donec tandem eroſis perforatisque ventriculo & inteſtinis anima exhalet. Hæc ſymptomata omnia proveniunt ex ſale Mercurii ſublimati, qui humiditate exutus vi caloris ad ſummam ſiccitatem redigitur: Salia verò ei commixta quicquid in Mercurio malignorum ſpirituum latet recipientia ſiccitate exceſſivâ fauces conſtringunt, humoreque abſumpto intolerabili ſitu torquent. Accedit ſalinorum ſpirituum aduſtiva & ſumma roſivæ virtutis vehementia, quâ in molliorem ſubſtantiam incidentes, illam illicò conficiunt, nervos diſſolvunt, ſpiritibusque vitalibus conſumptis mortem afferunt. Cujsu veneni vis aduſtiva haud incommodè cum fomite ſcintillâ

ignis correpto & quàm citiſſimè totam maſſam pervadente conſumenteque componi poteſt. Præter illa venena dantur & alia tùm vegetativæ tum ſenſitivæ naturæ. Sed illa indolem ſpirituum Arſenicalium & Mercurialium, ex quibus orta, referunt, eademque ferè ſymptomata procurant. Quoniam enim (quod retrò dicta arguunt) aſpis naſcitur ex arſenico, cui originem itidem debet napellus, venenum ejus morſu inflictum ad modum napelli & arſenici omnia corporis humani membra corroſa putrefactaque in tabum reſolvit. Nonnunquam vis illa ex variâ rerum miſcellâ obnubilatur, hinc alia venena mitius alia validius agunt. Alia determinato tempore ſeſe exerunt v. g. venena per morſum canis rabidi & Tarantulæ inflicta, quæ externo calore non ſollicitata inducias agunt, donec canicularis æſtus ſtimulis incitata vim ſuam prodant.

§. 16. Præ reliqris autem venenis venenum Tarantularum morſu inquempiam transfuſum tam exoticos indit affectus & ſymptomata, ut credi vix poſſent, niſi experientia rei fidem adſtrueret. Imò quod fidem omnem excedere videtur, Tarantiſmus, id eſt, morbi & ſymptomata ex Tarantularum veneno orta ſanantur nullâ ratione niſi ſono Muſico. Benè Multi quidem eâ dere egerunt Autores, quibus tamen more ſuo palmam præripit *Kircherus*, qui ut certi quid poſteritati relinqueret, ſummo ſtudio omnes tùm beſtiolæ mordentis tum ſymptomatum affectuumque à morſu provenientium circumſtantias tum ipſemet tum per alios exploravit. Unde quædam tum de Tarantulis, tum de laborantium affectibus excerpere lubet. Tarantula, ab urbe Italiæ Tarento dicta, eſt è genere aranearum, ſpecie multiplex, diverſi coloris, dentibus mordens, non aculeo ut apes vel ſcorpii, primoque aſpectu ſine noxâ apparet. Et ſanè certò anni tempore minimè pernitioſa eſt, & vix aliquid virium ad nocendum habet. Æſtu verò anni flagrantiſſimo accenſa morſu virulento peſtiferam pernitiem affert. Morſu inditum venenum ictis, mox per univerſum corpus diffunditur, & ad cor ſpirituum ſedem præcipuam penetrat. Cui veneno tanta vis ineſt, ut niſi icto celeri remedio ſuccurratur, is vel exitiali ſtupore corripiatur vel interimatur. Si verò aliqui vitæ damnum evaſerint, quaſi mente abalienati & ſemivivi continuo ſtupore & hebeti oculorum auriumque ſenſu affecti vitam

miſera-

miſerabilem ægerrimè ducant. Quibus accedunt varii affectus, appetitus dejectio, febres ardentes, artuum dolor. His omnibus malis etſi varia adhibeantur remedia, nullum tamen ſortiuntur effectum, niſi ſonus qualitati veneni proportionatus acceſſerit, qui per admirabilem quendam conſenſum ægrum velit nolit ad ſudorem viriumque defectum & totius corporis laxationem usque ſaltare cogit. Hoc ſono ſuscitatum venenum ægros quoslibet in ſaltus cogit, ita ut modeſtiſſimi alioquin viri & honeſtisſimæ matronæ poſthabito omni pudore ridiculis cum geſtibus & inſolitis corporis motibus ſcurrarum vel lymphaticorum inſtar usque adeò ſaltent, donec viribus nimio motu fatiſcentibus in terram decidant. Pòſt vino aliquantis, per refocillati & viribus reſumptis majori niſu eosdem ſaltus ad repetitos ſonos repetunt ad ſecundam, tertiam & plures defatigationes per triduum & quatriduum. Præter quod autem delectantur ſonis harmonicis, mirum in modum afficiuntur coloribus, alii rubro, alii viridi &c. alii armorum fulgore delectantur. Unde Muſicâ incitati gladio evaginato aut aliâ armaturâ fulgidâ in ſaltus prorumpunt. Alii ſe ex arboribus ſuspendunt indeque voluptatem capiunt. Affectus verò prædicti & ſymptomata nonniſi ſono ægri morbo proportionato excitantur. Qui quidem ſonus non eſt reſpectu omnium idem, ſed pro diverſitate veneni à Tarantulis inſtillati & temperamenti ægri variat. Quidam enim ſuavi vocum concentu, quidam dulci inſtrumentorum harmoniâ, alii vocibus & inſtrumentis ſimul concinentibus, alii tubis, tympanis ſtrepitum magnum excitantibus afficiuntur. Quod ſi verò veneno & ægris proportionatus eſt ſonus, tali animi voluptate corporisq; paſſione excipitur, ut auribꝰ ſubindè inſtrumentis admotis, quaſi eorundem dulcedine abſorpti attoniti hæreant, mox jubilo pleni recedendes majori niſu choreas repetant. Cum autem inter cantandum aut ſonandum veneno quædam incongrua harmonia incurrit, mox variâ capitis nutatione, colli & oculorum torſione totiusque corporis jactatione dolorem inde perceptum indicant. Sed ſimul atque ad amicam harmoniam reditur veluti magno malo liberati ad priores ſaltationes revertuntur. Propoſuimus ſymptomata, in cauſas antequam inquiremus, duo præmitti-

mus. 1. Sonus harmonicus in aëre productus aërem & externum & internum in corporibus unà cum spiritibus concitat ad rationem sonorum harmonicorum. Aër enim ê corpore sonoro elisus inque subjectum dispositum incidens, motum sibi impressum eidem inducit. Hinc chorda incitata alteram similiter intensam intactam licet, ob similem ad eundem motum recipiendum dispositionem commovet. Sic itidem aër harmonicè motus corpora animalium porosa penetrat ipsumque cor spirituum officinam subit. Qui spiritus cum sint subtilissimus quidam vapor sanguineus & admodum mobilis facilè à moto aëre sonum deferente concitantur. Ad quorum motum varii in animâ affectus sequuntur. Hinc cum spiritus velocioribus motibus harmonicis concitantur & veluti crispantur oritur ex illâ crispatione rarefactio quædam cordisque dilatatio, quam, prout vel blanda vel impetuosa fuerit, amor vel ira sequitur. Summum tamen momentum hoc in negotio affert dispositio audientis sono & harmoniæ proportionata. Quâ deficiente nulla aut valdè exigua commotio sequitur. Cum enim diversæ dispositiones hominum oriantur præcipuè à motibus Spirituum; spiritus autem à sonis commoti nunc recolligantur, nunc distrahantur multumque alterentur. Utiq; anima ad statum & variam dispositionem spirituum, variè inclinetur, necesse est. Unde lascivi blandis, mollibus & acutioribus modulis gaudent, quia effectus, quem hi moduli in Spirituum concitatione præstant, proportionatus similisq; est affectui quo inclinantur. Lugentes autem Musicos modulos aversantur, quia spiritus ob mœrorem quasi congelati motum ejusmodi vel crispationem ægrè ferunt. Verbo unusquisque plus delectatur illâ harmoniâ, quæ naturæ & complexioni suæ proportionata magis fuerit, magisque apta ad spiritus hoc vel illo modo concitandos. 2. Soni harmonici eundem saltandi effectum in Tarantulis præstant quem in Tarantatis. Nam sonatores ad curas Tarantatorum certius ac facilius accelerandas, neve sonis absimilibus eos discruciant, quærunt, quo loco & à cujus coloris Tarantulâ læsi fuerint. Posteà locum adeunt & conspectis interalias Tarantulis significati coloris varia tentant harmoniarum genera, ad quæ nunc has nunc illas subsultare adnotant. Cum verò ejq coloris Tarantulam quæ ab ægro indicata fuerat, in saltum prorumpere

rumpere advertunt, harmoniam obſervant eamque ægroto proportionatam & ad ſanandum aptam ſtatuunt. His præmiſſis cauſam exoticorum ejusmodi effectuum inveſtigabimus. Cenſemus igitur Tarantulam humore conſtare vitioſo admodum & ob ſubtilitatem facilè mobili, qui motu aëris harmonico concitatus ſimilem prorſus illi, quæ à ſonatore efficitur, vibriſſationem patitur. Unde animal veluti pruritu affectum ſono, qui humori ejus convenit, ad ſaltum impellitur. Viſcoſus enim araneorum humor ſoni recipiendi capaciſſimus eſt, cum, teſte *Martyre in hiſtoriâ. Indiæ occidentalis*, virus extractum indigenis fidium loco ſerviat. Cum igitur Tarantula morſu ſuo humorem ſubtilem & acrem, qui latentis penetrantisque veneni vehiculum eſt, infundat; humor ille à Sole æſtivi temporis calore excitatus per totum corpus diſpergitur, illudque ad harmonicos motus recipiendos diſponit. In ſubtiliſſima autem fila attenuatus inter muſculorum ſpatia difflatur. Fila demum ex humorum conditione apta, quæ ſono harmonico illciunt, & vibriſſata adhærentes muſculos cum vellicatione tum mordacitate ad ſaltus provocant. Nam humor ille acer & biliosus ſono harmonico motus calefactus pruritu totum muſculorum genus afficit; æger verò hac ſibi gratâ non minus quàm violentâ vellicatione dulcè affectus & vehementer impulſus in ſaltus prorumpere cogitur. Saltum conſequitur totius corporis humorumq; commotio, commotionē intenſior calor, calorem laxatio corporis pororumque apertio, & hanc ſudor venenoſique halitus tranſpiratio. Quandoque venenum tam profundè radicatum eſt, ut ſaltatione licet eodem anno ſœpius repetitâ, tamen non totum exhalet. Hinc ſecundo vel Tertio anno ſaltationes iterandæ, donec ſanitati priſtinæ æger reſtituatur. Nec abſimili ratione, quâ ad ſaltandum provocantur Tarantiſimo laborantes, ad certos colores ferri videntur. Humor quippe morſu Tarantularum inditus non tantum ſonis harmonicis, ſed certis coloribus afficitur, ſimilemque affectum homini inducit. Tarantulæ enim planis diverſimodè coloratis impoſitæ expetunt quod illorum colori reſpondet. Icti autem eo colore delectantur, quo Tarantulas natura induit, ita ut à Tarantulis rubris læſi ad rubrum & flammeum colorem inclinent, qui à viridibus vulnerantur ad viridem &c. Ut enim ſonus harmonicus

aures movet & ægrum ad ſaltandum provocat; ſic color ſympathicus oculos afficit gratamque ſpirituum titillationem parit. Ut Analogias inter rubedinem & rubras Tarantulas cauſam, unde eodem modo cæteros colores æſtimare licet exprimamus, rubedo ſingulari actione oculos propter igneæ naturæ ſimilitudinem accendit, & viſivos muſculos vellicat; In oculis autem maxima ſpirituum virtus colligitur, qui dilatati flammeoque colore perciti, muſculos tum viſivos tum alios adnatos provocant. Illis provocatis ſentitur prurito unde & motus, quos Muſica aëre ſuo harmonico multum adauget. Hinc ex objecto coloris grati maximam voluptatem homo percipit. Eſt enim & coloribus ſua harmonia, quæ non minus quàm Muſica recreat. Præterea in certo eſt, venena nonnulla peculiari ratione in phantaſiam influere: Utpote quorum vi humores in corpore ſuſcitati in cerebrum elevati ſpiritus & phantaſiam invadunt. Poſtea ſpirituum ope totius corporis humores juxta conceptas in phantaſiâ ſpecies pro variâ temperamenti hominis ratione excitantur. Unde in miro non eſt, ſi veneno ejusmodi infecti id ſe eſſe exiſtiment, quod ipſis à phantaſiâ objicitur, & rei iſtius mores exprimere ſtudeant. Ita venenum à dypſade illatum & aconitum copioſius ſumptum homines in anates, piſces, anſeres transmutare videtur. Cum enim venenum iſtiusmodi inſitâ vi, ob intolerabilem quam ſecum trahit ſitim, ad aquas inclinet, phantaſia extemplò ſpirituum ope iis ſpecibus, ad quas propendere facit, aſſumptis, aquas ſollicitè & laboriosè fingit, idq; eſſe deſiderat, quod reb9 deſideratis, uti ſunt aquatilia, maximè frui ſolet. At phantaſia vi morbi perpetuò ad rem deſideratam ſtimulata læditur & ex iis unum imaginatur: Ita febricitantes ſubinde ſe piſces optant, quò liberiori hauſtu ſitim reſtinguant. Imò omne venenum cerebro potiſſimum noxium intoxicatos certæ rei ſpecie infeſtat; vel juxta quam phantaſia ſpiritus & humores eadem ratione, quâ in animali lædente moti fuêre, movet. Ex allatis explicare eſt memoratos actus Tarantiſmo conflictantium, qui actibus Tarantularum mordentium valdè affines. Quatenus phantaſia humoribus noxiis in cerebrum veneni vi transmiſſis læſa, ſpecies ejusmodi format, ad quas venenum translatum inclinat, juxtaque illas ſpiritus & humores in corpore movet, ſimilesque Tarantulis actus edit. Sic excitata venenoſa Tarantulæ, v. g. choleragogæ qualitas, humorem ſuum acrem

ſibique

sibique consimilem in homine, & quidem in eodem cholerico vehementius commovet. Humor illatus in cerebrum phantasiam ad sibi aliàs propensum vehementius incitat atque harmonioso aëre percussus dilatatusque per omnia membra acriter stimulando vellicandoque se propagat, Undè è vestigio motus humori indito conformes, actus inquam indignationis, iræ &c. qui fulgore ensium evaginatorum rubicundorumque aspectu objectorum magis magisque promoventur, oriuntur. Non secus de Tarantulis hæmagogis, phlegmagogis ratiocinari licet.

§. 17. Profecturis sese offert nobilissima Phantasiæ virtus quippe quæ superioribus naturæ ostentis cedit nihil. Atque adeò palmam prærîpere videtur, cum non in proprio corpore pedem figat, sed ad aliud transeat. Quid in proprio corpore operetur documento sunt actiones Melancholicorum quorum nonulli, Reges, Monarchas, alij vitreos, mortuos, &c. se esse imaginantur, item noctambulonum qui viribus Phantasiæ perciti dormientes ê lecto surgunt, vestes induunt, obambulant, arma arripiunt, scalas ascendunt & loca vigilantibus vix adeunda superant. Imò videmus Phantasiæ operà adeo stupendas metamorphoses fieri ut nullus Proteus in tot formas transformari possit, quem ipsa multiformi suâ transmutatione non superet. Quæ vis sane prodigiosa uti in aliis sic in fœminis prægnantibus,& picali affectu laborantibus potissimum se ostendit. Animus parentis in conceptu speciem agitat aut mater rei horrendæ aspectu perculsa, objectum cujus desiderio stimulatur animo versat, indeq; fœtui nota indelebilis imprimitur. Hinc matrum aliæ filios varijs stigmatis transformatos variisque maculis aut characterismis rerum desideratarum pollutos, aliæ canis, felis aut alterius animalis formà miserè deturpatos producunt. Quin matribus suborta quandoque ciborum aliarumque rerum nausea fœtui illorum fastidium vix emendabile ingenerat. Adnotandum vero Phantasiæ, quatenus est tantum potentia cognoscitiva, portentosos mirosque illos effectus transcribi non posse, sed in partem vocandam potentiam, quæ per rerum imaginationem in consensum tracta humores & spiritus affectibus agitatos, elicit. Nam ut imaginatione, nemo vultui inducit ruborem aut pallorem, nisi accesserit affectus concitatior; Sic nec noxa infertur proprio vel alieno

corpori,,

corpori, nisi interveniente affectu vehementori. Per accidens igitur & concomitanter Phantasia adrelatos concurit effectus, movendo appetitum spiritusq; & humores, qui ad partes accessu vel recessu corpus alterant. Dictum in modum Phantasia corporibus tum morbos inducit, tum sanitatem restituit. Morbos quidem, quatenus vehementes & naturæ adversos ciet affectus v. g. iram, tristitiam &c. qui in humoribus mutandis & corrumpendis multum possunt: Sic ex imaginatione nonnulli incidunt in pestem, quoniam timor & mœror humores malignos in corpore latitantes movent, qui moti pestem adferunt. Deinde diuturnâ imaginatione spiritus plurimique vapores in caput attrahuntur, ab alijs verò partibus nutritioni dicatis avocantur, quo minus munere suo ritè fungantur. Ad curationem quoque facit imaginatio, quia confidentia reddit ægrum præceptis Medici obsequentem, præcipuè vero quia imaginatio eos ciet affectus, qui ad morbum vincendum atque debellandum faciunt. Ita confidentia in animo ægri generat lætitiam, lætitia spiritus, qui per morbum quasi torpebant, excitat atque reficit, qui excitati ac refecti naturæ in coquendis & Superandis vitiosis humoribus serviunt. Hinc animo læti ac hilares, cibum facilius & celerius concoquut atque illi, qui sollicitudine atque mœrore detinentur. Imò nonnulli si cibis, quos summo desiderio expetunt, potiuntur, convalescunt; etsi cibi non sunt salubres. Etenim cibos suaves & quos valde appetit ventriculus & avidius complectitur & fidelius concoquit, si verò quid vitii habent emendat, eosque in bonum alimentum convertit, â quo & corpus nutrimentum uberrimum accipit, pristinisque viribus recuperatis, morbi reliquias facilius profligat. Sic Melancholici certis speciebus nimium quàm indulgentes humores in cerebrum confluere faciunt, iisque species rerum, intentâ mente ac continuato desiderio versatas, arctè imprimunt, quas in humore caput replente veluti relucentes contemplati, verè se esse, quales sibi imaginantur, persuasum habent. Equidem illa humorum colluvies si solidam consistentiam necdum acquisiverit, facilè emendatur, modo remedia illi malo adhiberi fingantur, quod sibi incumbere æger imaginatur. Æger enim veluti voti sui compos factus ab imaginatione se abstinet, & morbi, quem falsò imaginatus fuerat

curam

curam deponit, hacq; ratione ſpecies priores poſterioribus obliterantur. Ita rerum indagatoribus conſtat, qui cornua ſe geſtare putabat, capiti cervinis cornibus alligatis ferrâque reſectis & oſtenſis eâ miſeriâ olim liberatum fuiſſe. Mulierem item, quæ ſe ſerpentem devoraſſe arbitrabatur, exhibito medicamento vomitorio, clamque in rejecta per vomitum ſerpente impoſito, ab imaginatione illâ ſanatam: Imaginatione ſcil. falsâ per contrariam ſublatâ. Quod ſi verò humor, in quo res deſiderata vel adverſa veluti in ſpeculo relucet, ſemperque phantaſiæ obverſatur, in vitream quaſi materiam coaluerit, tum prorſus ſtulti exiſtunt, ſtultique moriuntur. Non igitur Melancholici, qui modò imaginantur morbum, ideò in morbum incidunt, niſi morbus inſimul per mœrorem, ſomni defectum, ſollicitudinem aut alium animi affectū humorumq; ad cerebrum affluxum contrahatur. Quin & noctambulonum actiones ſpirituum, virtute phantaſiæ percitorum, operâ peraguntur. Nam phantaſia in ſomno objecto quopiam impenſius ſtimulata, vaporeq; paulò tenaciore, mentis officinam obnubilante, obducta, facultatem locomotivam & ſpiritus in homine, ſanguine ſpumante ſpiritibusque fervidis abundante, ad mira perpetranda impellit, eò quidem vehementiꝰ, quo minus, ut interdiu, negotiorum multitudine diſtrahitur reiq; difficultate deterretur. Conſule *Laurentium libr. 4. Hiſt. Anat. q. 12. Libavium part. 2. ſingul. pag. 249. & ſeqq. Lemnium de occult. nat. libr. 2. cap. 5. Schottum phyſ. curioſ. libr. 3. cap. 22.* Poſteaquam vires Phantaſiæ in proprio corpore maximè conſpicuas expendimus, diſpiciemus quâ ratione in alieno corpore eædem ſeſe exerant, illudque rerum aut deſideratarum aut horrore conſpectarum notis inſigniant. Tot enim tamque ſtupenda ſignaturarum, matris prægnantis imaginatione impreſſarum, exempla proſtant, ut de iisdem citra temeritatem ambigere non liceat. Nam teſte *Servio*, Medico Romano, *libro de unguent arm. pag. 79*, puero ob matris malaciam intempeſtivumque leporis appetitum in dextrâ genâ leporinæ pellis veſtigium impreſſum; puellæ autem deformatum fuit dextrum tempus uvæ maculâ, quæ frondentiꝰ & virentibus uvis floruit & intumuit, vitibus autem pampino nudatis ferè evanuit. Celeberrimus *Schoockius Diſquiſ. Phyſ. de*

signat. fœtus §. 5. refert sibi notam fuisse puellam nobilem, cujus mater gravida & glire consternata, fronti ingenuit glirem, cum hac quidem differentiâ, ut sub adultum autumnum, ubi glires pilum mutant, pili magnam partem exciderent, qui postea tàm spissi & copiosi subnascebantur, ut sæpius novaculâ abraderentur. Quin ipsemet novi nobilem studiosum, cui mater insultu gallipavonis perculsa notam inseruit, collo gallipavonis haud absimilem. Plura nævorum exempla, magno numero ab Excellentissimo *Schoockio c. l. Fieno tract. de viribus imagin. Sennerto lib. de chym. cum Arist. & Galen. Conf. ac Diff. cap. 14.* exhibita, in medium adducere non lubet, sed ad causas investigandas properamus. Ut autem exoticorum illorum effectuum causas eò facilius assequamur, quædam præmitenda ducimus. I. Sola imaginatio, ut ut fortis, fœtum signare nequit, sed concurrat oportet affectus vehementior, qui quasi stimulos addat facultati imaginatrici, ut fortius sibi insculpat speciem rei objectæ, eamque ad fœtum deferat. Hinc si aliquanto attentius consideraverimus notas in corpore humano, deprehendemus subinde ratione illarum primitus impressarum occurrisse sive pavorem & consternationem, sive vehemens desiderium, sive singularem libidinem. Hos motus sequitur imaginatio ex illâ apprehensione solitò fortius adhærens rei, quæ sui speciem in fœtu relinquit. Fallitur igitur *Scaliger, ubi exerc. 59. sect. 1.* causam albedinis in animalibus septentrionalium regionum aliorumque nivosorum locorum incolis v. g. ursis, corvis, vulpibus &c. notatæ, conjicit in aspectum nivium, quo phantasia imbuta albedinem in fœtibus referat. II. Imaginatio, quia est facultas sensitiva, à corporis temperie quam maximè dependet. Prout igitur in corpore aut aptior, aut minus apta ad phantasmata figenda dispositio occurrit, vis imaginatrix magis vel minus ad fœtum notandum disponitur. Phantasmata enim tumultario quasi & fortuito excitata, facultati quidem imaginatrici sistuntur; cæterum mox iterum obliterantur & quasi evanescunt, nullo sui vestigio relicto. Hinc melancholici aut cholerici temperamenti fœminæ præ cæteris fœtui nativas notas imprimunt. Illæ quidem, quod speciem rei tristis aut horridæ semel admissam non facilè deponunt; hæ verò, quod speciem receptam

ptam cum insolitâ quadam humorum agitatione agillimè ad fœtum transmittunt. Oves item & equi præ reliquis animalib9 fœtus signant, quia melancholico temperamento gaudent. In ovibus id arguit pavor, in equis phantasia tenax. Rei enim tristis & sibi ingratæ speciem diu & ad abstinentiam à pabulo usque retinent. Cumprimis autem in fœminis gravidis imaginatio viget. Suppresis enim primo gestationis tempore solitis evacuationibus, ventriculus noxiis humoribus repletur. Hi ad caput delati, in interiori facultate mirabiles imagines & phantasmata excitant, quæ vitio ex alieni cõmixtione contracto facultatẽ errare faciunt. III. Singularis inter certos motus animales datur consensus, quatenus ad motum Animalis Animal movetur. Sic qui ridentem intuetur, licet causam risus ignoret, ad ridendum provocatur. Idem in pandiculatione experimur. Effectus illi proveniunt ab objecti visi actione in Phantasiam videntis. Hæc enim actio speciem sui imprimens Phantasiæ eandem observantis, spiritus quoque ipsius ad easdem partes vocat, quibus membra eadem moveantur. Hinc est, ut cum singulari quodam benevolentiæ & amoris sensu de absente loquentem audimus, similem in nobis affectum erga eundem, quamvis penitus ignotum, experiamur. Sic nullus in corpore materno motus vehementior contingit, quin ob maximam inter matrem & infantem, nondum ab ea decisum, sed unum quid adhuc constitutum, *συμπάθειαν* recipiat fœtus. Cum enim motus seu tremor in uno corpore excitatus, similem in alio agitationem producat, quod constat ex vulgari experimento consonantium chordarum, quarum unâ pulsatâ movetur altera, phantasia etiam infantis matris phantasiæ adaptatur ipsique consonat. Cum autem matris phantasia motum pereelerem in toto corpore excitet, motus hic alium ei parem infantili corpori imprimit. IV. E quibusdam rebus, per quas fortiùs apprehensas Fœtus signatur, exhalant tenuia profluvia, alterationi non insitorum modò spirituum, sed ipsius temperamenti sufficientia. Ea aëre permista cum ipso absorbentur, & ad præcipua corporis membra translata, qualitatibus suis illa imbuunt. Pestis tempore id conspicuum, quo aër malignus spiritus & humores inquinat. Signa autem ex profluviis illis Fœtui impressa ad certam aëris temperiem alterationes varias subeunt, quas aër proportionatus procurat. Ita vinum

commovetur & turbatur turgentibus in palmite gemmis. Carnes cervinæ & damarum, probè etiam contra putredinem munitæ, eo tempore, quo ejusdem speciei animalia libidinantur, rancent & alterantur. His suppositis Fœtum in utero eâ, quæ sequitur, ratione pollui notisq; insigniri censemo. Dum mater objecto amico vel inimico graviter afficitur, humores unà cum spiritibus in corpore ejusdem variè moventur, & phantasia affectu vehementiori stimulata fortius sibi speciem rei exhibet. Species cum humoribus motis ad Fœtum delata easdem, quas in corpore materno, in tenero ejusdem corpore ob memoratum consensum alterationes generat. Quemadmodū autem in motibus verecundiæ sanguis in vultum ascendens rubore eum suffundit: Ita sanguis maternus in certam partem, quam mater actu vehementioris hujusmodi imaginationis durante tetigerat vel fricuerat, confluit. Verum cum certus sit partium matris cum singulis partibus prolis consensus, similis motus eidem communicatur & ad partem, parti maternæ respondentem, humores delabuntur. Repentino eo impetu tenera infantis cuticula imagine objecti inficitur, & vis plastica ad hominis figuram formandam determinata alienâ sibi ab imaginatione oblatâ specie allecta seductaque, ordinariâ eaque naturali functione neglectâ, rei objecti signaturam effingit. Conformatrix enim facultas derivatur speciatim per aversionem ab aliis partibus ad membrum Fœtus, quod laborare videtur, cui dum quasi succurrere parat, si in commotis spiritibus singularem speciem deprehendit, spiritus cum humoribus sic componere atque consolidare instituit, ut pariter relinquant nævum ac signaturam veluti quandam cicatricem. Mirus autem iste consensus inter matris & prolis partes statuis magneticis declaratur. Si duæ imagines eâ arte construerentur, ut capita earum ex magnete supra obelum subtili industriâ librata, alia verò membra ex aliis rebus sympathicâ vi pollentibus libramento simili adornata; nervorum loco chordæ singulis partibus in utrâque respondentes ad æquisonum tenderentur: Ille qui moveret unius imaginis caput, alterius quoque caput in convenienti distantiâ constitutum concitabit. Iterum qui ciebit chordam in unâ imagine tensam, chordam insimul in alterâ imagine æque tensam. Non secus in matribus fœtu gravidis fieri censendum, in quibus ob-

per-

perfectam totius cum toto, partiumque singularum cum partibus, harmoniam, vis plastica juxta species, vehementi imaginatione conceptas, spirituum ope, eas undatim deferentium, in fœtu figuram signat, speciei impressæ colore, loco, figura prorsus analogam. Sic Matrona, quæ notante *Schenkio lib. 4. observ.* singulari mororum desiderio flagrans coxam fricuit, peperit filium eodem loco mori signaturâ notatum. Ad locum enim, qui fricabatur, impressâ mori imagine spiritus defluxerant, atque ex consensu eâdem ratione Membro, quod Matri respondebat, Fœtus commoto, ad idem iidem spiritus derivati fuerant; qui permixti cum essent propriis spiritibus & humoribus fœtus, conformatrix facultas eò delata speciem mori per spiritus delatam, cuti exquisitè infixit. Quod ad pilos leporinos in genâ pueri signatos; ut leporis desiderium intempestivum in matre picâ laborante concitavit varios humores; sic illi humores cum fortiter apprehensâ specie leporis delati ad uterum, partes spermaticas, figendis pilorum radicibus destinatas, moverunt ad genam, quam mater forsan affectu hoc laborans fricuit. Quoniam verò pellis leporinæ species spiritibus, cum humoribus leporis desiderio elicitis ad fœtum delatis, firmiter impressa erat, pili in tenerâ cute enascentes ad colorem & formam pilorum leporinorum haud difficilè compositi. Glis autem in nobilis puellæ fronte comparens, hoc modo signatus videtur. Cum glires & sorices tetrum & ex parte venenatum spiritum exhalent, gravida mater à glire propius accedente consternata, simul quicquam spiritus attraxit, qui ne involaret in frontem, manu dubio procul eam texit. At motis hac ratione humoribus perinde ac spiritibus, cum iis non quid modò profluvii è glire, sed species perfecta gliris delata ad frontem est. Fronte commotâ defluxerunt eò partes spermaticæ pilis destinatæ, quibus accedens profluvium è glire, species gliris spiritibus indita à vi plasticâ ibidem effigiata est. Fœtu autem in lucem edito, ob causam jam dictam non ibi modo enati fuerunt pili gliris; verum ob effluvium etiam gliris illuc delatum pilorum comparentium eadem obtigit periodus, quam aliàs quotannis subeunt veri atque vivi gliris pili. Quam ob causam fructuum signaturæ sese pro diversâ aëris tempestate diversimodè componunt ad faciem vel arborum vel fruticum, fructus ferentium.

Nam fructuum istorum effluvia simul aëre hausta & cũm spiritibus atque humoribus, etiam lacte, ad fœtum transmissa, in ipso corpore quasi radices agunt, & illâ aëris dispositione, quâ ipsæ plantæ fructus vè vivi afficiuntur. Quandoque enim, referente ex *Martiano Bartholino Anat. Reform. lib. II. cap.* 1. cum lacte crudiora ad mammas devehuntur, quid igitur obstat, quo minus semina fructuum ad fœtum cum lacte deferantur? Idque si fœmina sub initium gestationis ejusmodi fructus solito avidius appetierit.

§. 18. Præter notas genitales matris imaginatione fœtui impressas, certorum ciborum fastidium nonnunquam ingeneratur. Ita alij pisces & cancros, alij carnem vel certum genus carnis, alij lac aut vinum, alij fructus horarios &c. ab ipsâ nativitate aversantur. Imo non sine gravi sanitatis detrimento cibos sibi inimicos comedunt; quamvis ita mutetur species ac sapor, ut nec sciant, nec suspicentur cibum ejusmodi proponi. Recensente *Amato Lusitano cent. 2. curat.* 36. Hispanus, qui pisces nunquam gustârat, ab amico ad cœnam vocatus, piscem deditâ operâ ovis obvolutum ederat, in tantas animi angustias incidit, ut animam tantum non efflârit. Consule *Pareum introd. ad Chirurg. cap.* 2. Effectuum autem illorum ratio â matris dispositione præcipuè desumenda. Primis enim gestationis mensibus suppressis ob fœtus conceptionem evacuationibus ventriculus potissimum laborat, noxiisque humoribus opprimitur. Hi nunc ob retentionem toto Matris corpore abundantes, morbos generât & vomitum provocant, nunc vehementem appetitum rerum insalubrium pariter ac minus noxiarum excitant, prout illarum species Phantasiæ fortè fortunà oberrant, nunc ciborum odium pariunt, quibus aliàs prægnantes cum delectatione vescebantur. Porrò cum fœtus sanguine vel potius lacte materno ita affecto nutriatur, inclinationes vel aversationes pro ratione nutrimenti ei inseruntur similes illis, quæ id temporis in parente dominantur. Imò si ventriculus vel alia quævis infantis pars, per quam humores cibi desiderio vel odio eliciti transierunt, prioribus qualitatibus altè imbuatur, infans in lucem editus cibum, undè ortæ sunt, aversabitur. Nam teneræ fœtus partes â cibis alterationem passæ, eandem arctè retinent ciborumque fastidio corripiuntur. Si enim aliquoties te ovis ingurgites, ad eorum esum

nausea

nauseabis, cum iisdem stomachus male afficitur, cujus parietes & orificium visco inficiuntur: Quidnî igitur stomachus infantis cibo graviter affectus, illum magnoperè abhorrebit? Sed objicit *Schottus Phys. Curios. libr. 3. cap. 27. §. 2. Verum neque hæc sententia placet, quia constat aliquos aversari cibos quosdam, quos tamen matres eorum, dum illos utero gestabant, tantum abest ut abhorruerint, ut vel maximè appetiverint. Nam mater pueri rustici qui panem aversabatur, dum uterum gereret & in vicinià nuptiæ celebrarentur, videns panem primarium ac optimum qui à convivis absumebatur, & à convivarum liberis domum deferebatur, ingenti desiderio illius æstuabat, & ut voti compos fieret, nuptiarum locum accessit, animo petendi, sed pudore præpedita regressa fuit, non tamen desiderium extinxit, sed accendit. Hinc puer natus tantum abhorruit panem, quantũ mater illum desideraverat.* Verum imbecillior est objectio *Schotti*, quam quæ adductam sententiam infringat. Ciborum enim illorum, quos maximè appetimus, haud rarenter nos tædium capit. Si enim benè sapiunt facilè in majori copiâ assumuntur, quàm ventriculo aliisque partibus concoctioni dicatis, convenit; unde cum malum natura sentit, non potest non fastidium suboriri. Ad exemplum pueri, cui nimium panis desiderium ejusdem fastidium ingeneravit, respondemus, matrem ejusdem desiderio panis correptam, spe autem ejus potiundi frustratam, magnas in corpore alterationes perpessam fuisse, quas damno suo fœtus utero incluſus expertus, cibum sibi adeò infensum & noxium posteà abhorruit. Quemadmodum matres imprimunt proli notas ciborum anxiè desideratorum, licet nunquam iisdem fruantur. At enim experientiâ constat benè multos quàm avidè appetere cibos, à quibus matres eorum, quo tempore uterum gestabant, quàm alienæ fuerunt. R. Non una eademque est tùm matrum imprimentium tum fœtuum impressionem recipientium dispositio. Diversus igitur, effectus sequitur. 2. Ut sola matris imaginatio non signat fœtum, sic etiam nuda cibi aversatio fœtui ejusdem fastidium non ingenerabit; nisi affectus aliquis vehementior intervenerit, qui humores variè agitando corpus infantile graviter afficiat. Sed cum plures reperiantur, qui caseum quàm quodvis aliud cibi genus fastidiunt, non abs re erit causam aliquanto curatius vestigare. Sunt qui habitâ odoris gravis cerebro quàm molesti ratione, existimarunt eo-

dem

dem offendi illos, quibus victus caſei non allubeſcit. Verum aliquàm multi caſeum abhorrent, qui odore ejus non offenduntur. Imò ſæpe caſei gratus eſt odor qui eum averſantur. Denique qui neſcientes & aliis condimentis involutum caſeum comedunt, non minorem nauſeam perſentiunt, quam ſi palam deglutiviſſent. Sunt, qui putant ideo plurimos ab eſu caſei abhorrere, quod perſuaſum habent ejus eſum noxium eſſe, mortemque afferre. Sed perſuaſio iſta cauſæ rationem ſuſtinet minus. Pueri enim & infantes, qui nullam habent apprehenſionem ciborum tanquam ſalubrium caſeum averſantur. Imò rarò homines à caſeo ob iſtam apprehenſionem abſtinent, cum qui caſeum valetudini noxium eſſe ſciunt, ab ejus eſu ſibi non temperent. Sunt denique, qui propterea complures ab edendo caſeo alienos eſſe autumant, quod matres eorum gravidæ cibum hunc faſtidiebant. Non quidem inficias iverim malaciam prægnantium conjunctam cum certorum ciborum faſtidio hic aliquid momenti habere; interim ſufficiens cauſa agnoſci nequit. Plurimi enim caſeum quàm alios cibos fugiunt, quorum matres caſeum nunquam averſatæ fuêre. Celeleberrimus *Schoockius Tract. de averſ. caſei*, ſecutus hac in parte Illuſtrem *Digbæum*, arbitratur plerosque nauſeare ad caſeum, quia è matrum aut nutricum mammis lac caſeatum ſuxerunt, quod ob noxam, quam infert, nauſeam caſei teneris infantibus ingenerat. Duo autem præmittit, quæ ad declarandam ſententiam faciunt. 1. Lac, ſi fortè fœmina illud in mammis habuerit & deinde conceperit, ordinario ſecundum rationem caſeationis concreſcere ob calorem præternaturalem mammis obvenientem. Dum ſcilicet inſitus calor (materiâ ſcilicet chyloſa, quæ lacti inſerviebat, ſe in uterum ad efformationē partium corporis recipiente) major atque ratione modici chyli in lac convertendi improportionatus eſſe incipit. 2. Si quis cibum quempiam inſigniter faſtidivit, ab eodem abhorret longo tempore, niſi per omnem vitam. Id quod plurimis exemplis probat. §. 14. His ſuppoſitis concludit ſibi decennali experientiâ exploratum plerosque, qui caſeum averſantur usq; adeò, lacte materno aut nutricum prægnantium alitos fuiſſe donec lac caſeatum ab horrentes ſemet ipſos ablactarunt. Interea non negat. §. 19. quos-

dam

dam caseum fastidire quod mater prægnans eum parùm quin abominata fuerit. Imò concedit fastidium illud altiores radices agere, si caseum quis sibi noxiũ esse persuasũ habeat. Quæ posterior Dn. *Schookii & Digbæi* sententia nobis arridet. Lac enim in mammis concretum infantem immane quantũ alterat multisq; incommodis afficit. Hinc infans ob fastidium subortum semet ipsum ablactat, posteà quicquid ad lac caseatum vergit, id omne respuit. Insuper ventriculus ob plurimos noxios humores ab alimento attractos ita disponitur ut non possit citra insignem noxam alimentum sumere, quod ad abstinentiam omnis cibi usque fastidivit. *Schottus c. l. p.* 535. sententiam hanc sequenti ratione infringere nititur: *Causa cur aliqui caseum abhorreant ab infantiâ non est quod lac caseatum è mammis matrum aut nutricum suxerint Ratio est, quia alioquin longe plures caseum abhorrerent in omnibus nationibus ac populis quàm de facto abhorrent. Nam plurimæ matres sunt adeò fœcundæ ut singulis annis prolem effundant, præsertim ignobiles & pauperiores; quæ tamen ipsæmet lactant infantes suos antecedentes ferè usque ad partum subsequentiũ: plurimæ item matres, quæ non singulis annis pariunt, sed vel singulis bienniis aut trienniis, non ablactant infantes donec vicini ferè sint partui. Si ergo omnes prædictarũ matrum proles â caseo abhorerent, quantus esset eorum numerq?* Verum objectio illa non labefactat totam sententiam, sed tantũ hypothesin quandam Dn. *Schoockii*, scil. lac concrescere ob factam conceptionem, cujus forsan alia reddi causa posset. 2. Non eadem mulierum est dispositio; Nonnullæ enim, cumprimis fœcundæ, tantâ abundant lactis copiâ, quæ tũ nutriendo infanti tum fœtui in utero formando sufficiat, adeò ut nullum concretionis periculũ ob exiguam lactis copiam subsit. Hinc gravidarum nonnullis menses fluxere; Cum sanguis menstruus nihil aliud sit quàm alimentum superfluum, quod ob abundantiã digeri nequit. Cur igitur illæ fœminæ copiosum lac non subministrarent? Accedit varia infantium constitutio, quorum pars melius lac concretum concoquunt: Imò quia lac in mammis corrumpitur, majorem noxam infanti infert, nec inde ortum fastidium facilè emendatur. Quid? quod si dapium solidorum plus quàm lactis infanti largitum fuerit, ventriculus lacte caseato minus læditur. Plura adduceremus naturæ Prodigia v. g. Orchides sive Satyria, Arbores, quæ hominis aliorumq; animalium figuras perfectè exhibent, item

admiranda naturæ pictricis opera, formas, figuras, imagines, quas in lapidibus & gemmis delineat, sed temporis & chartæ angustiâ excluſi, ad Magiam Divinatoriam properamus.

§. 19. Hactenus Magia Theoretica, quæ indagat atque eruit quas reconditas atque occultas cauſas habeat effectus. Illam excipiat Magia Theoretica, Divinatoria ſpeciatim dicta, quæ indagat atque eruit, quos reconditos atque occultos effectus cauſa habeat, idque ex inſitâ atque naturali virtute: Quemadmodum in priore Magiâ obſervatum. Illam enim quæ ſupernaturalia atq; oſtenta ſpectat, Theologis relinquimus, ut in præſens ſolam Philoſophicam attendamus. Ea eſt vel Remota vel Proxima. Remota circa aſtra verſatur, eorum curſum, diſtinctionem, Eclypſes, aſpectus, conjunctiones, oppoſitiones exactè contemplata. Hac ſcientiâ imbutus Aſtrologus multis annis prædicit futuras Solis Lunæque Eclypſes, Planetarumque aſpectus, Lunæ inſuper Solisque in inferiora influxum probè ſcrutatur, & quæ juxta illum inſtituendæ electiones quà Medicæ quà Agricæ. Sic prudentius agit, qui Lunâ decreſcente, quàm qui creſcente ligna cædit. Nam quia ligna creſcente Lunâ nimio humore abundant, putredinem facilè contrahunt. Ad Magiam hanc vulgò referunt prædictiones tempestatum, quæ tamen nomen ſcientiæ non merentur. Siquidem principiis nituntur univerſalibus inadæquatis, nec iis quidem probè cognitis. Sidera remotæ, inadæquatæ nec ſat exploratæ tempeſtatū cauſæ ſunt, quarum influxus â terrâ decerminatur. Inde pro horizontum & climatum varietate variat & ſiderum operatio. Imo aliæ partes climatis proniores ſunt ad pluvias, aliæ ad ſerenitatem, in aliis venti ſæviunt, in aliis infeſta corporibus humiditas. Quid? Quod ſtellarum, qualitas, numerus, quantitas, &c. ipſos Aſtrologos latet. Quid igitur certi de ipſorum effectibus adſequentur? Denique unde conſtat illis an effectus proveniat â ſtellâ tanquam cauſa per ſe an per accidens? Quî norunt, an v. g. nubiloſa tempeſtas adſcribenda conſtellationi, an ignibus ſubterraneis?

§. 20. Magia proxima eſt vel Generalis & Phyſica, vel Specialis & Medica. Phyſica ex corpore per ſe; ejuſdemque tum affectione tum effectione effectum veſtigat. Itaque continet Phyſiognomiam, quæ Chiromantiam: Si quæ datur. Phyſiognomia ex notis ſignisque in corpore v. g. corporis ſingularumque partium ſtructurâ, diſpoſitione, internas animi propenſiones colligit. Cum enim Anima in

agendo

agendo requirat disposition em Corporis, ex ejusdem habitu de moribus judicium fertur. Temperamentorum verò antiquior habenda ratio, quæ diversimodè homines inclinant. Ad alios quippe Affectus Sanguinei, ad alios Cholerici feruntur. Non autem temerè ex uno atq; altero sed ex pluribus in unum conspirantibus signis mores hominum divinare est. Hinc illud principium Physiognomicum: *S*imilitudo cum animalibus arguit morum similitudinem: nobis haud probatur. Si igitur similitudo partium Externarū seu figurarū arguit convenientiam in moribus, quid ni & similitudo partiū Internarum. Sed partes Interiores porci maximam habent convenientiam cum partibus humanis: Quin & caput vitulinum cum humano. At ecquis inde morum similitudinem colligeret? Chiromantiam vulgò duplicē faciunt, Astrologicam & Physicam. Astrologica Manq digitis, monticulis ac lineis certos Planetas assignat, quibus partes illas dirigi pronuntiat. Sed illa spectat ad Artes Magicas Illicitas, vanitateque sùâ seipsam confutat. Physica ex manus asperitate, lævitate, longitudine, brevitate; Item ex linearum positu, ductu, continuitate, incisuris &c. internam corporis temperiem animique propensiones auguratur Verum enim verò ex solâ manus structurâ & dispositione nisi reliqua signa attendantur parum veri colligi retrodicta arguunt. Quin conjecturæ ex lineis solido destituuntur fundamento. Si enim natura peculiari ratione manibus notas eas insculpsisset, quæ hominis tùm temperamentum tùm mores exprimerent, cur easdem destinasset laboribus, quibus linearum figura, situs &c. variè immutatur? Fines enim subordinati non pugnant, nec secundarius destruit Primarium. At enim Natura nunquam frustra agit, E. ob finem manus tot lineis signavit *R.* 1. Quo quæso Fine Natura pedibus lineas insculpsit, quibus incedimus & obambulando callum obducimus, ut linearum vestigia vix appareant? 2. Lineæ Principales Manui tum constringendæ tum explicandæ inserviunt; *S*ecundariæ constrictioni Manuum in Utero ortum debent. Infans enim in utero manus sub genis complicatas habet, ex quâ constrictione in cute tenerâ lineæ istæ remanent. Hæc corporis Affectionē vel constitutionem respiciunt, quibus ex corporis effectione aut operatione documentum subjungere est. Eò faciunt Somnia, Naturalia passim dicta, quæ temperamentorum luculentum præbent indicium.

Cum enim Phantasia à corporis temperie dependeat, Phantasmata, quæ humorum dispositio permittit, in somno format. Ita Sanguinei colores rubros, choreas &c. Phlegmatici aquas, submersiones; Chorici colores flavos, rixas &c. Melancholici fumos, spectra, mortem aliaque tristia somniant, ad quæ diversa sanguinis constitutio phantasiam determinat. Imò somnia naturalem hominis propensionem melius exprimere videntur atque actiones vigilantium. Phantasia enim noctu ab humoribus, à calore concentrato concitatis, validius afficitur atque interdiu, nec objectis externis adeò distrahitur, nec intellectus imperio ita subjacet.

§. 21. Specialis & Medica ex corporis ægri affectione & effectione effectus eruit. Sic Medicus ægri qualitates, colorem, figuram, actiones tum naturales tum vitales & animales, quin excrementa, quà universalia quà particularia probè considerat indeque morbi exitum colligit Conf. *Laurentium Method. Prænosc. c. 1. & seqq.* Plerique Medicorum in morbis acutis diei septimi vel noni aliorumque criticorum maximam habent rationem, quos in dubium vocant Recentiorum nonnulli. Nam veteres Medici, *Hippocrates*, *Galenus*, *Asclepiades*, *Celsus &c.* in numerandis diebus criticis non conveniunt; Nec hodieque satis constat, à quo tempore faciendum computandi initium, cum morbi principium cognitu sit difficillimum. Quo ignoto, quomodo dies criticus observabitur? Imò cum crisis quandoque ad plures dies extendatur, quis erit inter eos criticus? Isne à quo incipit, an quo solvitur vel omnes simul? Quin experientia testatur, crisin nullum dierum observare ordinem, nodum præcisè quem Veteres commenti sunt. Hinc etiam apud *Hippocratem* exempla criseos omnium ferè dierum ad vigesimum quintum usq; occurrunt. Variæ denique ordinis in diebus ab Autoribus allatæ rationes negotium suspectum reddunt. Alii ad numeros Pythagoricos, alii ad motum humoris Melancholici, alii ad naturam certo ordine procedentem, alii miserè se torquentes ad cœlum, astra, motumque Lunæ confugiunt. Videsis *Laurentium lib. 3. de crisibus*; Sed nulli sciendi desiderium explent. Aliquàm multa restant, quæ prætervehi præsens pagina exigit.

Tantum.

COROLLARIA

I.

Objectum Physicæ non est Corpus naturale, quatenus naturale, sed Corpus, quà Corpus.

2. Materiam Primam qui negat, negat Mundum.
3. Qui Naturæ Formarum annihilationem, hic Idiomatum Divinorum Communicationem tribuit.
4. Privatio Physica tàm realis, quàm reale ipsum corpus, à quo non differt.
5. Spatium est Mysterium Physicum, i. e. Figmentum.
6. Nihil facilius est scitu, ac Tempus, in quo vivimus.
7. Corpus sine Quantitate est sine corpore. Neque enim Quantitas differt ab eo.
8. Qualitas Occulta nomen suum optimo jure tuetur: Quia cum non-Ens sit, est incognoscibilis, eoque occultissima.

Præstantissimo Domino Respondenti:

Germani, Patrisq́, sedent tibi Gratia Diva,
Ingenium, Pietas. Augeat illa DEUS!

Gratulatur

ELIAS GREBENITZ.
Th. Profess. Ordin.

Ad

Eximium & Præstantissimum

DN. RESPONDENTEM,

Auditorem suum perindustrium & amicum charissimum.

Quod mos est perhibere, Trahit sua quemq́ voluptas:
In Physicis etiam suevit habere locum.
Atq́ tuo patet hoc exemplo, sedule Buchi.
Dum missis aliis, sunt tibi Lemma Magi.
Doctius haud poterat, si quid modò judico, sumi:
Nam fert in Physicis omnia puncta Magus.

Gratulor

Cum enim Phantasia à corporis temperie dependeat, Phantasmata, quæ humorum dispositio permittit, in somno format. Ita Sanguinei colores rubros, choreas &c. Phlegmatici aquas, submersiones; Chorici colores flavos, rixas &c. Melancholici fumos, spectra, mortem aliaque tristia somniant, ad quæ diversa sanguinis constitutio phantasiam determinat. Imò somnia naturalem hominis propensionem melius exprimere videntur atque actiones vigilantium. Phantasia enim noctu ab humoribus, à calore concentrato concitatis, validius afficitur atque interdiu, nec objectis externis adeò distrahitur, nec intellectus imperio ita subjacet.

§. 21. Specialis & Medica ex corporis ægri affectione & effectione effectus eruit. Sic Medicus ægri qualitates, colorem, figuram, actiones tum naturales tum vitales & animales, quin excrementa, quà universalia quà particularia probè considerat indeque morbi exitum colligit Conf. *Laurentium Method. Pranosc. c. 1. & seqq.* Plerique Medicorum in morbis acutis diei septimi vel noni aliorumque criticorum maximam habent rationem, quos in dubium vocant Recentiorum nonnulli. Nam veteres Medici, *Hippocrates*, *Galenus*, *Asclepiades*, *Celsus &c.* in numerandis diebus criticis non conveniunt; Nec hodieque satis constat, à quo tempore faciendum computandi initium, cum morbi principium cognitu sit difficillimum. Quo ignoto, quomodo dies criticus observabitur? Imò cum crisis quandoque ad plures dies extendatur, quis erit inter eos criticus? Isne à quo incipit, an quo solvitur vel omnes simul? Quin experientia testatur, crisin nullum dierum observare ordinem, nedum præcisè quem Veteres commenti sunt. Hinc etiam apud *Hippocratem* exempla criseos omnium ferè dierum ad vigesimum quintum usq; occurrunt. Variæ denique ordinis in diebus ab Autoribus allatæ rationes negotium suspectum reddunt. Alii ad numeros Pythagoricos, alii ad motum humoris Melancholici, alii ad naturam certo ordine procedentem, alii miserè se torquentes ad cœlum, astra, motumque Lunæ confugiunt. Videsis *Laurentium lib. 3. de crisibus*; Sed nulli sciendi desiderium explent. Aliquàm multa restant, quæ prætervehi præsens pagina exigit.

Tantum.

COROLLARIA

I.

Objectum Physicæ non est Corpus naturale, quatenus naturale, sed Corpus, quà Corpus.

2. Materiam Primam qui negat, negat Mundum.

3. Qui Naturæ Formarum annihilationem, hic Idiomatum Divinorum Communicationem tribuit.

4. Privatio Physica tàm realis, quàm reale ipsum corpus, à quo non differt.

5. Spatium est Mysterium Physicum, i. e. Figmentum.

6. Nihil facilius est scitu, ac Tempus, in quo vivimus.

7. Corpus sine Quantitate est sine corpore. Neque enim Quantitas differt ab eo.

8. Qualitas Occulta nomen suum optimo jure tuetur: Quia cum non-Ens sit, est incognoscibilis, eoque occultissima.

Præstantissimo Domino Respondenti:

Germani, Patrisq;, sedent tibi Gratia Diva,
Ingenium, Pietas. Augeat illa DEUS!

Gratulatur
ELIAS GREBENITZ.
Th. Profess. Ordin.

Ad
Eximium & Præstantissimum
DN. RESPONDENTEM,
Auditorem suum perindustrium &
amicum charissimum.

Quod mos est perhibere, Trahit sua quemq; voluptas:
In Physicis etiam suevit habere locum.
Hoc tuo patet hoc exemplo, sedule Buchi.
Dum missis aliis, sunt tibi Lemma Magi.
Melius haud poterat, si quid modò judico, sumi:
Nam fert in Physicis omnia puncta Magus.

Gratulor

Gratulor his cœptis, & per te post magis opto
Ut liqueat, distent, quid Magus atq; Magus.

Aliud.

Qui ter conscendit, me Præside, pulpita sacra,
Buchius, ut Physicum gestit adire modò.
Quid precer Egregio Juveni tam pulchra patranti?
Conatu gemino digna brabéa precor.

L. m. q scribb.

JOHANNES WALTHERIUS LESLE,
SS. Theol. D. ejusdemque P.P. Ord. ut &c
Ecclesiastes Electoral.

ABdita Naturæ, *Buchi*, scrutaris acutè,
Ac ea nervosè, Præside Fratre, refers.
Pergas, quo cœptum, decurrere tramite: metam
Felix attinges, nec sine laude, tuam.
In honorem Eximii atq; Doctissimi Dn. Respondentis,
Auditoris sui charissimi, hæc scribebat.

JOHANNES RIESSELIUS
D. & P. P.

BUchius *ostendit firmis rationibus artes.*
Quas Vulgus Magicas non sine labe vocat.
Monstrat non Stygias has eructasse tenebras,
Sed Naturali prosiliisse loco.
Pergat doctorum Fratrum doctiq; Parentis
Exemplum menti præposuisse suæ.
Buchiadum *sic Gens ad cœlica tecta feretur,*
Sic pulchrum Nomen secla futura vehent!

JOHANNES SIMONIUS
Theol. Lic. Log. Ord. & Metaph.
Extraord. P.P.

FINIS.